



25859

1705143.



Inv. nr. 4142
Mu8

w 1668
1440.

ANDREA OLSZOWSKI

ac Rn^{mi} D.D.

EPISCOPI CELMIENSIS

AUSPICILS

Procurary

REGENI POLONIAE CATHOLICAE

POMESANIAE



ad EUSTACHIO LETTAV. AALLET Philos. Moro. S. Theologe et lurum auditore, S. D. N. Alzimo, in Alma Vniuersitate Vilnensi. S. I. Anno Dhi 1668. dicit.



10221 95/13



AD ILLVSTRISSIMVM
ET REVERENDISSIMVM DOMINVM
DOMINVM & PATRONVM.

NON in alienam messem , gentilicias Tuas immites Falces , si
Theologia mea in manipulum digestas Theses , benigna manu
contingere dignaberis , Illustrissime & Reverendissime Praesul ,
ac Senator Amplissime . Tibi hac albescebat messis , qui ejusmo-
di vertate , Domum DEI gaudes abundare . Tibi mea procumbit
Ceres , Te erga , spontaneis inclinata favonijs , qui tali frumento ,
excelsa mentis oblectas palatum . Non ecquidem ambigo , tot jam
opimi feraces grani manipulos , in Tuum illatos esse Horreum , non
tamen idcirco fastidies adventitios ; quin promptius ad volui , eoque
submissius meus adorare Tuas debet Falces , quo fertiliorem intuens ,
suorum quoq; granorum plenitudinem , in Tuo prestolatur Horreo .
Adbuc in herba seges adolescebat , cum jam Tuis vrbibus maturior de-
stinabatur spica , non Pharaonico nibilis somnio , septemplici assurge-
bat culmo , verum Regalis Speculativa scientia veritate subnixa , se-
ptem non inanes forebantur aristae . Nam qualis qualis manipulus
meus è tribus Philosophia , quatuor autem Theologia annis cœi spicis
quibusdam lectus , in Tua Diœcesis Horreum , nescio quo omniè pro-
pendebat inferri ; nec aliter colligi voluit , nisi adminiculo Tuarum ,
Antistes Magne , Falcium demeteretur . Tuarum ergo acumine Fal-
cium , in publico illo Lituano Almæ Vilnenis Vniversitatis Academis
et campo , ferrebat opus ; ibi per quam difficiles spicarum dissec-
bantur nodi , ibi Tuarum Falcium fulgor ijs veluti , qui lotantur in

messe , clarissimè affulgebat. Itaq; tam operosâ, tamq; strenuâ Fal-
ce , demessa fruges , primum Philosophicâ laureâ in manipulum col-
ligatæ , tum deinde Doctoratus Theologici circumducenda annulo, non
sibi sed alijs natae, Tibi q; potissimum suo Patrifamilias presentari an-
helant. Cape igitur Mæcenas Munificentissime exilem hunc Mani-
pulum , quo licet manum non implebis , implebis tamen solita Tua ,
Tuisq; Clientibus notissima benitatis consuetudinem. Non vspি-
am , credo , seu tutius , seu felicius , Manipulus meus deget authu-
mnos , quam in illa area , in qua ♂ geminata Crucis munimen , ♂
geminati Chalybis robur , ♂ Sigilli securitas , praesidio erit : modo
spatum inibi manipulus meus , Tua Celsitudinis annuente favore , re-
perire dignus censeatur. Licebit manipuli mei grana , Tua concre-
dere Telluri , quatenus cum obsequiorum multiplici fanore annum
reendant vectigal perpetuo. Tuis itaq; obnoxium , Tuis demessum
Falcibus fructum , dum venerabundus subijcio , illud una polliceor ,
sic hanc finitam atque coronatam esse messem , vt nunquam novo-
rum ac novorum studiorum in Te meorum sementem jacere sim desi-
turus ; Tu vt presenti manipulo gratam porriges dexteram , sic na-
scituris meis obsequijs conferes incrementa.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus Servus
Eustachius Lettau.

CONCLVSIONES Ex VNIVERSA THEOLOGIA.

EX PRIMA PARTE.

I.

DEVM esse, evidenter demonstrari potest. Essentia ejus Metaphysicè est Ens à se.

II.

Realis distinctio & formalis ex natura rei: item distinctio rationis objectiva intrinseca efficit simplicitati Divinæ Distinctio verò Virtualis Major non est necessaria ad salvanda mysteria fidei.

III.

NVlla potentia materialis potest elevari ad Deum videndum. Et creatura nec de facto nec de possibili dabilis est, cui sit connaturalis visio beatifica.

IV.

Principium Visionis beatificæ est Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus. Impossibilis est species impressa repræsentans intuitivè Essentiam DEi. sed ipsa essentia per se, immediatè, per modum speciei intelligibilis, concurrit ad actum visionis Dei.

V.

Beatи vident in Deo omnia Mysteria Fidei : & alias creature. Nulla autem ratione DEVS ita videri potest, ut comprehendatur.

A

VI.

VI.

Scientia simplicis Intelligētiæ cognoscit DEVS omnia possibilia in se ipso tanquam in causa, & medio cognito: Scientia autem visionis omnia futura absolute; conditio-
nate porrò futura, cognoscit scientiâ mediâ, quæ necéssa-
ria est, ad efficacem prædestinationem adulorum ad gloriâ.

VII.

DVæ sunt Processiones in Divinis; quarum principium Quo: est Intellectio, & Volitio toti Trinitati com-
munis. Principia Quod, duo similiter sunt, & totidem personæ productæ. Et hæc in vna natura faciunt Mysteri-
um Sanctissimæ Trinitatis.

VIII.

Intelligere Angelorum non est eorum substantia. In ini-
stanti creationis peccare non potuerunt. Futura simpli-
citer contingentia, secreta item cordium, ab illis naturali-
ter certò & determinatè non sciuntur. Cognoscunt se i-
psos per suam substantiam, sine ullâ specie distinctâ: alios
autem Angelos & objecta materialia per species concrea-
tas non verò ab ipsis objectis acceptas.

IX.

Probabile est Angelos ad gratiam sanctificantem, in qua
creati sunt se non disposeruisse. Gloriam demeruerunt
peccato superbiæ; cuius objectum fuit excellentia Unionis
Hypostaticæ.

X.

Locutio Angelorum consistit in conceptu mentis ordi-
nato

nato per voluntatem ad alterum, ad manifestandum illi a-
liquid, & in specie impressa de eadem voluntate & conce-
ptu, à Deo in audiente producta. Pœna vero sensus dæ-
monum consistit in perceptione qualitatis spiritualis ab i-
gne elevato productæ.

EX PRIMA SECUNDÆ.

XI.

Beatitudo hominis objectiva solus Deus est. Essentia
beatitudinis formalis & supernaturalis principaliter &
propriè consistit in actu intellectus videlicet visione DEi
per essentiam. Neq; cum peccato actuali neq; cum ha-
bituali etiam Divinitus beatitudo consistere potest.

XII.

Voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco
cum cognitione. Potest aliquid voluntarium esse li-
berum sine ullo actu positivo & consequenter potest esse
omissio libera. Malitia peccati consistit in carentia alicu-
jus rectitudinis & honestatis debitæ in ipso actu. specialis
peccati mortalis malitia in genere moris est simpliciter in-
finita.

XIII.

DEVS nullo modo causa vel author peccati censendus
est, licet effectivè concurrat ad totum actum peccati,
quatenus ens & actio realis est. Peccatum Habituale præ-
ter aversionem à DEO ut ultimo fine moraliter manen-
tem, includit realem & Physicam privationem gratiæ. O-

riginale vero privationem justitiae originalis, quatenus hominem convertit ad ultimum finem supernaturalem.

XIV.

Beatissimam Virginē Mariam esse conceptā sine peccato originali, est certum etiam ex mente D. Thomæ Doctoris Angelici, & est ita verū ut publica authoritate Ecclesiae possit decerni fide Divinā credendum: imo sine præjudicio oppositæ sententiæ fide divina jam credi potest.

XV.

Ad omne opus meritorium necessarium est auxilium gratiæ prævenientis tanquam ejus principium. Gratiæ non est Personæ Spiritus Sancti substantialiter unita animæ atq; sanctificans. Homini prout nunc ordinato ad vitam æternam non potest remitti peccatum sine infusione gratiæ.

XVI.

Gratia efficax formaliter est ipsa entitas auxiliij prævenientis congrua subjecto, connotans consensum sub conditione futurum: ut est speciale beneficium, includit scientiam medium. Per gratiam efficacem non prædeterminatur physicè ad consensum huic gratiæ voluntas humana.

EX SECUNDA SECUNDÆ.

XVII.

Obiectum materiale fidei Theologicæ est ens revelabile à prima & summa veritate quod aliunde non involuit repugnantiam cum assensu fidei. Objectum verò formale

male ejusdem est prima veritas in cognoscendo & loquendo.

XVIII.

REvatio DEi creata seu passiva est tantum conditio, nō verò partiale motivum respectu assensus formalis fidei. Clementem IX. Romanum Pontificem esse legitimum successorem D. Petri & Caput Ecclesiae est de fide.

XIX.

Objectum formale spei Theologicæ est bonitas DEi ut ultimi finis à nobis possidendi, Charitatis verò motivum formale est bonitas Divina qua in se infinitè bonus & perfectus est.

XX.

IUs formale & intrinsecum ultimo & completè constituitur per ipsos actus cognitionis & volitionis cognoscētis & acceptantis favorem legis circa aliquid Vnde scienti & volenti non potest fieri injuria. Usus licitus rerum est separabilis ab omni dominio & jure proprietatis.

EX TERTIA PARTE.

XXI.

Possibilis est Incarnatio Verbi, non tamen necessaria, etiam supposita voluntate creandi universum, aut reparandi naturam lapsam. Incarnatio defacto fuit propter Redemptionem generis humani tanquam propter adæquatum motivum. Esto peccatum Originale non fuisset, si fuissent actualia in omnibus naturæ humanæ individuis, DEVIS adhuc vi præsentis decreti venisset.

XXII.

XXII.

CHISTVS vnionem hypostaticam nec meruit nec
mereri potuit de condigno. per merita illam antecedē-
tia :SS. Patres circumstantias illius meruerunt de congruo,
sicut Beatissima virgo Maternitatem.

XXIII.

Sanctificabatur Humanitas CHRISTI tam à Persona-
litate VERBI quam ab ipsa Natura Divina. Habuit
CHRISTVS gratiam Habitualē creatam ejusdem Spe-
ciei cum nostra. Fuit liber ad merendum & moriendum.
Valor operum Christi intrinsecè infinitus fuit: quibus
meruit sibi gloriam corporis & exaltationem nominis, no-
bis gratiam & gloriam.

XXIV.

Sacramenta novæ legis constant intrinsecè & essentiali-
ter rebus ut materiâ & verbis, ut formâ. Tam mate-
ria quam forma Sacmentorum novæ Legis ab ipso
Christo determinata sunt. Sunt causa moralis gratiæ,
non item Sacraenta antiquæ legis.

XXV.

Intentio Virtualis in Sacmentorum administratione
necessario requiritur & sufficit. Fides verò & probitas
Ministri non requiritur ad valide, requiritur tamē ad licite
conficiendum Sacmentum, excepto casu impotentiæ
aut inadvertentia.

XXVI.

XXVI.

EVcharistiae Sacramentum constituant essentialiter non solum Corpus CHRISTI & sanguis, sed etiam species sacramentales, & verba consecrationis. Nullo autem modo sumptio rationem Sacramenti Eucharistiae constituit.

XXVII.

IN Missa offertur DEO verum & proprium Sacrificium, cuius essentia consistit in consecratione panis & vini: Ita tamen ut etiam sumptio a Sacerdote facta sit pars substantialis principalis integrans sacrificium, cuius materia proxima est CHRISTVS.

XXVIII.

Pœnitentia est specialis Virtus. Cuius objectum forma le est æqualitas moralis cum DEO seu bonum pacis cū eodem. Contritio perfecta, quæ requiritur ad justificationem extra Sacramentum, debet esse ex motivo charitatis. Est tantum mera dispositio ad justificationem.

XXIX.


Peccata semel dimissa neq; quoad culpam neq; quoad reatum pœnæ sibi debitæ redeunt per subsequens peccatum. Merita vero mortificata per peccatum reviviscunt ad totum præmium. Ad effectum Sacramenti Pœnitentiarum necessario requirit or se extendens ad omnia mortalia admissa; ad va em verò sufficit solum de peccatis confessis. Vnde & dabile est Sacramentum Pœnitentiarum validum & inforne.

Matrimonium quod in lege naturæ simul & Mosaica purè civilis contractùs fuit, CHRISTVS gratiosâ suâ voluntate ad Sacra menti dignitatem elevavit. Inter testes Sacerdos: contrahentes ipsi ministri sunt; consensus corundem materiæ; verba aut æquivalentes illis nutus formæ vicem habent.

Ad

M. D. O. M. GLORIAM B. V. M. S. L. O. C.

Honorem.



OR 309378-10

OR 309378-10

217
—
166